



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Devoti Admodùm Et Consolatione Pleni Confessionales Psalmi Septem

Isidorus <A Cruce>


Dillingæ, 1675


[urn:nbn:de:hbz:466:1-53188](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53188)





Th. 3168.

J. XIV. 20









DEVOTI

Admodum

ET

CONSOLATIONE

Collegij Sctij Jesu Paderbornensis

PLENI 1678

CONFESSIO-

NALES

PSALMI

SEPTEM

IN QUIBUS
Peccator
DIVINAM
Pro
CRIMINIBVS
CLEMENTIAM
DEPRECATUR ::
INGENUE FATENDO,
AMARE FLENDO,
FORTITER SPERANDO.

QUOS

post multas, ac varias
TRANSLATIONES,
ET EDITIONES
REVERENDISSIMVS
DOMINUS, DOMINUS
ISIDORUS à CRUCE
PRAGÆ

Apud

S. CAROLI MAGNI

locum Abbas &c.

Latine antehac

EVULGAVERAT.

N U N C

post Bambergensem

Quoque

ANNI M. DC. LXXIII.

EDITIONEM

D E N U O

*Ob eximiam suam
pietatem*

E T

INDUBITATAM
UTILITATEM

P R A E L O D A-

T U R :

P A V C I S

Admodum

ADIECTIS, PAUCIORIBVS,

C U M

bona pientissimi

A U T H O R I S

venia, mutatis.

ILLVSTRATVM
præterea est ultimâ hac editione
piis aliquot Iconismis opusculum.

D I L I N G Æ

Typis JOAN: CASPARI BENCARD,
Bibliopolæ Acad.

Cum facultate Superiorum.

ANNO M. DC. LXXV.

Cor mundum crea in
me DEUS, & spiri-
tum rectum innova
in visceribus meis!
Psf. 50. v. 11.

Sacrificium DEO spi-
ritus contribulatus,
cor contritum, &
humiliatum DEVS
non despicias. *Psal.*
50. v. 18.



A D

Contriti cordis

A N I M A M

PECCATRICEM

P R Æ F A T I O .

D Assus olim eccl^{ia} sin
Amoris sui **D E V S**
(ut cum consultis-
simo Areopagi Synedrita
Dionysio dicamus) tandem
post exacta infiniti tempo-
ris (æternitatis) intervalla

A 4

ple-

nis extra se fontibus in Creaturas exundavit, suúmque totius bonitatis, atq; inexhaustæ felicitatis pelagus, in hunc Visibilem Mundum dispensavit. Quem cum tribus digitis sacratæ suæ Triados, pari per singulas personas omnipotentiâ concurrentis, appendisset (Is. 40.) in eam potissimùm cogitationem exarsit, uti eo, velut amoris sui testatissimo pignore humanos animos sibi devinciret.

At

P R Æ F A T I O. 3

At quando id (proh dolor!) obtinere ab ingratiſſimis (jam non hominibus , verùm beſtiis) haud potuit ; ipſo jam tum protoparente , atque adeò primo homine , turpiter in Creatorem ſuum Rebelli , ſecumque in fatalem DEI hoſtilitatem trahente univerſum humanum genus : nondum tamen idcirco Impatientiã vinci potuit ter Opt. illud Numen , & Miſericordiarum pater ; *cuius*

A 5 (quis

(quis capiat?) *deliciae sunt,*
esse cum filiis hominum.
 (Prov. 8.) Verùm velut exi-
 gua, suâq; Maiestate etiam-
 num indigna forent in hu-
 manam gentem collata ea
 beneficia; idcirco quod
 postmodum uni Davidi per
 Prophetam amanter infi-
 nuavit, id universo Morta-
 lium cætui longè antè a-
 mantissimè decrevit: *Si*
parva sunt ista, adijciam
tibi multò maiora. (2.
 Reg. 12.)

Si

P RÆ F A T I O. 5

Si ergo parùm est, peccatrix anima! Creâsse te, & universa propter te: conser-
vâsse te, & cuncta propter
te: nutritivisse, & cuncta pro-
pter te: tuitum esse, & cun-
cta propter te, à periculis,
à casu, à clade, & cuncta
propter te; tantumòdò con-
fide, & *adijciat, adijciat*
profectò tibi multò maio-
ra!

Et sanè, tametsi in se gran-
de, parvum tamen extra in-
iuriam dicitur, quodcunq;

in ambitu naturæ benefici-
 cium adnumeras, si ad ob-
 stupefcendum illud, & fu-
 per omnem naturam inso-
 lens donum DEI id contu-
 leris. Ecquod illud? inquis.
 Aures arrige Anima! *Quo-
 sic DEVS dilexit mun-
 dum, ut filium suum Vni-
 genitum daret. (Ioan. 3.)*
 darétque, proh! quanta pas-
 surum, acerbissimè mori-
 turum, honoris turpissi-
 mam, vitæ dolendissimam
 jacturam subiturum!

Aures

Aures Ambrosio porri-
ge anima, extra se rapto, &
exclamanti (l. 2. de Jacob,
& vit. beat. c. 6.) *Tantum
fuit Domino studium tuae
salutis, ut propemodum
de suo periclitaretur, dum
te lucraretur! Ah! Utique!
Adijciam tibi multò ma-
iora!*

Cerne, quisquis titulum
ambis Contrito Corde Pu-
blicani, cerne, quàm cumu-
latè id præstiterit fidelis pro-
missor **DEVS!** Condidit,
accen-

accendit unâ parte stellatos
 lucidissimè Cælos: Tuî gra-
 tiâ condidit, *accendit. Si
 parva sunt ista.* Cerne, al-
 terâ parte factorem Cælo-
 rum, luminis totius in no-
 bis fontem, lumen de lu-
 mine, D E V M verum de
 DEO vero, in patibulo *ex-
 tingui!* Propter te extinxit.
 Nunquid *multò* (putas)
maiora adiecit?

Condidit terram, eique
 liberaliter omni ex parte
 benedixit, (Gen. I.) Pro-
 pter

P R Æ F A T I O.

propter te benedixit. *Si parva sunt ista*, audi suomet maledicentē Crucifixo: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno!* (Gal. 3.) Propter te maledixit: *Christus enim nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* (Ibid.) Nunquid multò maiora adiecit?

Perfecit Pater Cælum,
& terram, & omnem or-
natum eorum. (Gen. 2.)
Propter te perfecit. *Si par-
va sunt ista, respice in fa-
ciem*

ciem Christi tui (Ps 83.)
cui omnem Ornatum ab-
stulit: Quoniam non est
species ei, neque decor; Vi-
dimus eum, & non erat
aspectus, & desideravi-
mus eum despectum, &
novissimum virorum, vi-
rum dolorum, & scientem
infirmiorem, & quasi ab-
sconditus vultus eius, &
despectus! (Is. 53.) Propter
te omni Ornatu DEI filius
nudatus est. Nam nos li-
vore eius sanati sumus.
(Ib.)

(*Ib.*) Ah ! nunquid *multò*
maiora adiecit ?

Mirare porro unâ parte,
quomodo cunctas tibi Cre-
aturas , in potestatem , ci-
búmque concessit ! *Omne*
quod movetur & vivit ,
erit vobis in cibũ ; quasi ole-
ra virentia tradidi vobis
omnia. (Gen. 9.) Si *parva*
sunt ista ; obstupesce parte
alterâ , oblatam tibi pro ci-
bo vivificantem Carnem fi-
lii D E I , pro potu vivum
eius sanguinem , pro dul-
cissi-

cissimo Condimento Veneranda DEI Ecclesiæ Sacramenta, cum animæ incomparabili gustu. Eia! *nunquid multò maiora adiecit?*

At, quid hæc ingero tibi peccatrix anima? nota oh! nimium tibi! Quorū acerbâ Recordatione, & ingrattissimam te bestiam lubens agnoscis, Divinâ exprobratione tacta: *Hæcine reddis Domino, anima stulta Et insipiens? (Deut. 32.)* Et
ex

ex profundo animi ruborem induis: *Confusio faciei meae cooperuit me!* (Ps. 43.) & multitudine scelerum inspectâ, propemodum deliquiô urgeris. Et accusari coram DEO, & cælo in singula momenta vehementer times: *Diffamata enim es, quasi dissipasses bona illius.* (Luc. 16.) Et ad *Rationis reddenda Vocem* (ibid.) vix non desperabundè te inferis: Nempe, *si voluerit homo*

homo contendere cum
DEO, non poterit ei re-
spondere unum pro mille
(Iob. 9.)

Memorem te præterea
lascivientis Juventutis tuæ
meritò extremè pudet: ex-
clamantem *Delicta Juven-
tutis meæ, & Ignorantias
meas ne memineris Do-
mine!* (Ps. 24.) Inspici-
ens verò modernā ætatem,
haud dissimilem te putas
magno peccatori, qui di-
xit: *Afflictus sum, & hu-
milia-*

miliatus sum nimis, rugiebam à gemitu Cordis mei. (Ps. 37.) Et idcirco lacrimabiliter Tu ímet te denique miseret, in extremis angustiis, sine spe, uspiam, ullo tempore evadendi cõstitutæ: Scrutans est enim Corda, & Renes DEVS! (Ps. 7) Qui nihil impunè fert, sed in tetrum carcerem mittit: Vnde non exhibis, donec reddas novissimum quadrantem. (Matth 5.)

Periculis ergo terreris de
 die,

die, dum haud firmius,
quàm super Aranearum te-
lam, puteo Infernali obten-
sam stare te, perspicuè cer-
nis: *Pepererunt enim pec-
catores iniquitatem &c.
& telas Araneæ texuerunt*
(Is. 59.) Nec minora de
nocte subeunda pericula ti-
bi; rodente etiam tum con-
scientiâ, & tetrîs oberranti-
bus spectrîs interitum com-
minantibus: *In horrore
Visionis nocturnæ, quan-
do solet sopor occupare ho-
mines,*

mines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Et quum spiritus (vindex) me praesente transfiret, inhorruerunt pili Carnis meae. (Job. 4.)

Hæc tanta, tam horrida cum patiâre ob extremam ingratitude[m] erga Amato[re]m tuum, pretiosa, ab DE I ipso Sanguine redempta anima! nunquid hiantè gutture mordebis hamum, extracturum te de lacu Misericordie, & de luto facis?
(Ps. 39.)

(*Pf 39.*) Anhelante omnino pectore (quis dubitet?) prehendes manum, volentem liberare te: dicésque jucundissimâ voce: *Tenuisti manum dexteram meam, & in Voluntate tua deduxisti me!* (*Pf 72.*)

Non aspernaberis prodige fili; non non, pientissimum patris gremium, pleno te sinu anxie expectantis. (*Luc. 15.*) Pavida, ab extremo pereundi periculo, Columbula, in medio Aëris à
Tar-

Tartareo milvo deprehen-
sa, abscondi gesties *in fora-*
minibus petra, in Caver-
na Maceria. (Cant. 2.)

Virulento serpentis ictu tu-
mida, mox interitum alla-
turô, (Num. 21.) festina, fe-
stina remedium petes, à
pretiosa Sanguinis Divini
Theriaca, in intima tui Cor-
dis uberi sese amne insinua-
turâ.

Hæc tu, conscia tibi plu-
rimorum malorum anima,
quàm libenter, ut spes est,

B

præ-

præstabis, tam promptum,
tam volentē, quin stimula-
torē habes omnī momentō.

DEVM tuum, Piscatorem
tuum, Patrem tuum, Refu-
gium tuum in petra, Medi-
cum tuum; ecce jam nunc

auribus tuis suavissimè, ut
olim suarum uni sponsæ in-
clamantem: *Salvabo te,*

*Et liberabo te, noli time-
re! cum inimicis meis ter-*

*ram lambisti, Et mel inter
spinas linxisti, (Psal. 71.)*

tandem revertere ad me,

Et

Et ego suscipiam te, Et
 torrente Voluptatis tuæ
 inebriabo te! (Ps. 35.) O
 sermo efficax Et penetra-
 bilior omni gladio anci-
 piti, pertingens usque ad
 divisionem animæ Et spi-
 ritûs, compagum quoque
 ac medullarum. (Hebr. 4.)
 Quis non moveatur, non
 revertatur?

Itane? contriti paulatim
 Cordis anima! Et hæc fe-
 riò? En ergo obsecro! pro-
 movendo proposito tuo,

B 2 rever-

revertendi ad DEVM tuum
 expeditissimam (quisquis
 est pientissimus Author) vi-
 am compendio instruxit,
 qui parvulum hunc præsen-
 tem, eúmque adeò Manua-
 lem Libellum lucubravit,
 quem PSALMOS CON-
 FESSIONALES in-
 scripsit; persuasus, nî fal-
 lor, illâ Divi Gregorii l. 8.
 Mor. verissimâ Gnomê:
*Qui promereri vult, quod
 expetit, debet malum Con-
 fiteri quod fecit.* Viâ, si
 Divi.

Divino Oraculo credis, brevissimâ, restituendi se superum favori, & extremam perniciem declinandi: *Dixi enim confitebor adversum me iniustitiam meam Domino; Et tu remisisti impietatem peccati mei. (Ps. 31.)*

Confessio ergo sincera, humilis, D E O tuo facta, verè seriùmque proponens, via prima est, ad Amicitiam D E I denuo promerendam; Cuius Confessionis

modum in laudato habes
præsenti libello. Quem le-
ge, intellige, nec poteris le-
ctum non probare. Datur
is denuo ad prælum, (post
plurimas editiones) bono
omnium publico, & singu-
lorum privato: Quos in-
ter Tu quoq; habe,
fruere !





PSALMUS I.

ANte oculos tuos, Domine,
culpas nostras ferimus, &
plagas, quas accepimus, confe-
rimus.

Si pensamus malum, quod fe-
cimus, majus est, quod meremur.

Gravius est, quod commisimus,
levius est, quod toleramus.

Peccati pœnam sentimus, &
peccandi pertinaciam non vita-
mus.

In flagellis tuis infirmitas no-
stra teritur, & iniquitas non mu-
tatur.

Mens ægra torquetur, & Cer-
vix non flectitur.

B 4

Vita

Vita in dolore suspirat, & in opere non se emendat.

Si expectas, Domine, non corrigimur, si vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione, quod egimus; obliviscimur post visitationem quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias, clamamus, ut parcas; si peperceris, iterum provocamus, ut ferias.

Habes ergo Domine confitentem me reum; novi, quod nisi dimittas, rectè me perimas.

Quis dabit ergo capiti meo aquam,

V. S. P. M.

quam, & oculis meis fontem lacrimarum!

Ut mœrore congruo animæ meæ damna deplorare sufficiam?

Adest quippe manifesta, & maxima causa inæstitiæ, cùm statum meum secundùm omnes temporis dimensiones recolo.

Quid fui Domine? quid sum? quid ero? Fui nihil, nihil sum, & ero fortè nihilo pejus.

Fui conceptus in Originali peccato; sum plenus peccato Actuali, & quis scit, an ero condemnatus pœnâ Gehennali?

Fui miserabilis in Ingressu, sum miserabilior in progressu, miserimus ero in egressu.

B § Cùm

Cùm nihil essem, fui sine periculo damnationis, & sine spe salutis; & jam sum in spe dubia, & periculo gravi.

Ero aut ex re sperata felix, aut ex periculi successu infelicissimus.

Sic fui, ut damnari non possem; sic sum, ut salvari vix possim; sic ero, ut vel æternùm damnatus, aut æternùm salvus.

Quid fuerim scio, scilicet quòd pessimus; quid sim nescio, quia de gratia incertus; quid ero, ignoro, quia de salute dubius.

Quod fui Domine, ignosce; quod sum, corrige; quod ero, dirige.

Dirige ah! DEUS meus à malo
præ-

præterito, in bono præsentî, ad præmium futurum!

Adest interim manifesta & maxima causa mæstitiæ, cum antiquos dies cogito, ac juveniles annos mentis intuitu considero.

In hac meditatione mea defecit spiritus meus. *a* Scio enim qualis fuerim, imò qualis esse debuerim; non cognosco, qualis sim; timeo qualis futurus sim; & eò magis timeo, quò minus doleo.

Utinam magis dolerem, & minus timerem!

Sed heû mihi Domine, quia jam diu percutis, & adhuc non doleo.

Jam diu vocas, & adhuc non

B 6

au.

audio ; jam diu pulsas , & cordis
mei pessulum non aperio.

Circumdant me dolores mor-
tis ; & cum multis replear dolori-
bus exterius , nullum , qui ad salu-
tem operetur , dolorem sentio in-
terius.

Nec solos senectutis dolores ex-
perior ; sed vir dolorum ego sum
à juventute mea , cunctique dies
mei laboribus , & ærumnis pleni
sunt : & tamen doleo , quia sem-
per dolens dolere nescio.

O stupendam & ineffabilem
cœlestis Medici sapientiam ! O
immensam summi Regis bonita-
tem ! O singulare omnium bo-
norum Largitoris beneficium ?

Das

Das mihi Domine dolores, ne
jucunditatibus peream; & ut di-
scam sine offensione jucundari,
das dolores temporales, ne patiar
æternos.

Affligis corpus, ut salves ani-
mam; flagellas, ut sanes; occi-
dis, ut vivifices.

Sed, proh dolor! medicinam ex
occulta manu misericordiæ tuæ
invitus suscipio, & antidotum
salubrium dolorum, quibus mi-
sericorditer in me sævis, non
agnosco!

Et quomodo agnosco, si instan-
ter à te peto, ut auferas à me do-
lores? qui tamen sine doloribus
sanari non possum.

Quomodo enim, nisi per dolores
sana-

fanabitur, qui per delectationes
infirmatur?

Fac ergo Domine, ut doleam,
& doce me salutarem dolorem;
ut tristitia mea vertatur in gaudi-
um, *a* & exultem in salutari tuo,
dicens:

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.



a Ioan. 16.

PSALMUS II.

Fluunt dies, & labuntur anni; sed infoelix ego, qui post tot animæ meæ labes, post casus gravissimos, ac diuturnos nondum resipisco, nec compungor de peccatis meis!

In ea frequenter relabi contemno, ab eis resurgere non curo, nova veteribus, majora minoribus accumulans.

Quid faciam Domine, aut quò ibo, cum novissimum meum tempus venerit?

Ubi abscondar à vultu iræ tuæ? aut quò à facie tua fugiã, a cum vocaveris me ad judiciũ, & requireris à me de talento mihi tradito rationem?

Quid

a Psalm. 138.

Quid respondebo tibi, aut quomodo negligentiam meam excusabo, cum sederis super thronum Majestatis tuæ, & usque ad ultimum quadrantem præceperis mihi reddere rationem villicationis tuæ? *a*

Dicam equidem, Domine, vim patior, responde pro me: quis enim ego sum, ut respondeam tibi in iudicio?

Sed quid si me ipsum respondere compellas? contusus, territus, ac tremens dicam: nihil Domine superlucratus sum.

Quin imò nequiter & inaniter consumpsi talentum tuum, ac bona tua **VIVENDO** luxuriosè dissipavi. *b*

Sed

a Luc. 16. b Luc. 15.

Sed stultè locutus sum dicens
VIVENDO; rectiùs quidem di-
xissem, MORIENDO.

Sed vivere me tunc putabam, &
mortuus eram. quia sine te, verâ
vitâ meâ vivebam: & si aliquan-
do tecum vixi, vix memini.

Quin imò si vita impij mors po-
tiùs, quàm vita dicenda est; me-
ritò dicam, quòd priùs cœpi mo-
ri, quàm vivere.

Non dum enim quid vita esset,
perfectè intellexeram, cùm jam
te vitam vitarum, & fontem vitæ
derelinquerem, & in multis sce-
leribus ætatem malitia supplevit.

Ex utero matris meæ egressus
non fueram, & jam peccator
eram.

In

In mundum ingrediens, peccata, in quibus genuerunt me parentes mei, adhuc peccati nescius deflevi.

Nec penitus cessaveram aliena flere peccata, quando propria commisi, quæ cognovi, & non flevi.

Infans iniquitates colui, & pueritiam, in qua purus esse debui, impurus egi, exhalabámque de limosa concupiscentia carnis, & scatebra pubertatis; & obnubilabam cor meum, ut non discerneret lucem à tenebris, & serenitatem mentis à caligine libidinis.

Et ætatem imbecillem, obliviosam & lascivam rapiebat voluptas

a *D. Aug. lib. Confess.*

ptas perfida & dolosa per abrupta cupiditatis; & ebulliebam per scortationes meas, inferis satiari desiderans.

A pueritia veni in adolescentiam, nec factus sum citius adolescens, quin citius mea pravitas adoleverit.

Ausúsq; sum variis, & umbrosis amoribus silvescere, è quibus abstractus & illectus *a.* flagitiorum gurgite mergebar in interitum & perditionem.

Dies adolescentiæ meæ, malæ & nefandæ transierant, & pergebam in juventutem, sed ad priores revertēbar, quantò ætate maturior, tantò vanitate turpior.

Juvenis fui, & attigi virum, sed
sem.

semper viguit in me pro virtute
vitium.

Senui, & incanui nec ambula-
bam in viis tuis, sed velut puer
centum annorum puerilia adhuc
senex facio.

Ubi ergo aliquando innocens
fui? ut secundum tempus inno-
centiæ meæ à te velim judicari?
etiamsi illud constituas mihi ad
judicium.

Justus es enim Domine, & re-
ctum judicium tuum, a reddis-
que unicuique secundum opera
sua.

Ego autem omnia mea vereor,
quoniam opera tenebrarum sunt;
operarius iniquitatis fui ab initio,
atque

a *Psal. 118.*

atque impiorum semitas libens
semper secutus sum.

Jacui in vitiiis, sicut porcus in
immunditiis, & sicut ille filiquis
pascitur, sic ego fabulosis & scur-
rilibus verbis oblectabar; seriis
autem, & utilibus tristabar.

Cum operantibus iniquitatem
communicabam, & cum electis
eorum convivabar; & gloriabar
in malitia, qui potens eram in
iniquitate. *a*

Excusare me amabam, accusa-
re nesciebam, & ingravabam cor
meum, eoque peccatum meum in-
sanabilius, quò me peccatorem
non esse arbitrabar.

Nec solùm medicinam animæ
meæ ad mortem infirmatæ non
qua-

quærebam, sed & oblatam recusa-
bam, & adversus eam ministran-
tes, animò irreverenti & infru-
nito indignabar.

Arguentes me persequabar, lo-
quentes verò mihi placentia am-
plexabar.

Et in illorum sermonibus mihi
complacui, qui non habebant cor-
rectum ad te.

Studui in commentis & men-
daciis, & in cunctis dilexi magis
tenebras, quàm lucem: *a*

Ecce vitam meam enuntiavi
tibi DEUS meus! Hæc est se-
ries vitæ meæ, in qua iram tuam
merui. Hæc respondebo tibi,
eum interrogaveris me, de
me.

Secd

Sed & delicta juventutis meæ,
& ignorantias meas ne memineris.
Domine! *a*

Nec intres in iudicium cum
seruo tuo, quia non justificabi-
tur in conspectu *b* tuo omnis vi-
uens.

Si intrare tamen velis, quo-
niam DEUS diligens iudicium
tu es, *c* fac mecum iudicium, sed
non facias iustitiam.

Et iudica me secundum iudi-
cium diligentium Nomen tuum,
d ut cantem tibi misericordiam
& iudicium.

Memento Domine, quòd licet
nequam ego sum, servus tamen
tuus sum, & filius ancillæ tuæ. *e*

Et

a Psal. 24. *b* Psal. 142. *c* Isaiæ 61.

d Psal. 118. *e* Psal. 135.

Et non ad multitudinem miseriarum mearum, sed ad magnitudinem miserationis tuæ respicias.

Et cum propter scelera mea iratus fueris in me, misericordiæ tuæ recordaberis. *a*

Ut non in æternum irascaris mihi, sed miserearis tribulato seruo tuo.

Ut te laudet anima mea, & confiteatur miserationes tuas.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.



PSALMUS III.

Heu mihi misero, quia iratum constitui adversum me Redemptorem meum, & legem ejus contumaciter neglexi!

Iter rectum sponte deserui, & sicut ovis renuens pastorem suum, per loca arida & inaquosa, longè, latèque circumactus sum.

Errans in invio & non in via, *a* aspera quæque & in accessa penetravi, & ubique tribulatio & angustia.

In via iniquitatis & perditionis lassatus sum, *b* & ambulavi vias

C diffi-

a Psalm, 106. *b* Sap. 50.

difficiles, quærens requiem, &
non inueniens.

Quia non te Domine quærebat,
sed in terra sterili & regione mor-
tis, ubi nulla requies, sed labor
continuus & afflictio spiritûs in-
habitat.

Cùm in honore essem, non in-
tellexi, sed quasi unus ex gregi-
bus brutorum, inter lustra fera-
rum fuit incolatus meus.

In anxietatibus cum voluptati-
bus moratus sum, & in sentibus
cubile meum stravi.

Et obdormivi in interitu, &
speravi requiem in tormentis.

Nunc verò quid agam? Quò
me in tantis periculis vertam?

Spes

& Spes adolescentiæ meæ corruerunt omnes, & factus sum naufrago simillimus, qui mercibus amissis nudus enatat, jactatus ventô & pelagô.

Elongatus sum à portu, & viam salutis non apprehendo, sed rapior sinistrorsum.

Retia mihi disposuit hostis, quocunque ibam, & pedibus meis laqueos tetendit.

Ego autem despexi, & incessi securus inter lubrica, & in peccatis meis mihi blanditus sum.

Credidi, juventutem mortis lege non teneri, & hâc fiduciâ deceptus, abii post turpia carnis meæ desideria.

Et ultra modum sensualitati
habenas relaxavi, sequens eam,
quocumque me ferebat impe-
tus. Et dixi insipiens in corde
meo : a

QUID ANTE MEDIUM DE EX-
TREMIS COGITAS ?

LONGA TIBI RESTAT DIES: CON-
VERTI POTERIS, CUM VOLES.

Sic inveteravi in peccatis, &
consuetudo pessima versa est in
naturam.

Jamque velut peccati manci-
pium, catenatus illi servio; &
quasi phreneticus odiens carnem
suam, cum sibi ipsi manus infer-
re laborat, deliberationis ratione
sopita.

Sic ego gravius & periculosius
odivi

odivi animam meam : siquidem
nefarias & violentas manus sibi
ipsi injecit impœnitentia cordis
mei.

Et peccandi obstinata voluntas,
Infoelicem animam meam pro-
priis manibus laceravit, & exul-
ceravit.

Atque ita gehennæ cumulos
mercatus, indies magis secundum
duritiem meam, & impœnitens
cor meum thesaurizo mihi iram
in die iræ.

Vetustum jugum à me excutere
aliquando tentavi, sed non valeo,
quia inhæret ossibus meis.

O si tandem excidat à collo
meo, ut te diligam vel ferò!

Excidet quidem, si tu jusseris Domine, & auxilium mihi miseris ex alto.

Non merui, fateor: sed tu largitor optime, qui solem tuum æqualiter oriri facis super bonos & malos, & indignis etiam non poscentibus bona temporalia concedis, quomodo spiritualia petentibus denegabis?

Miserere ergo mei DEUS meus, & imple petitionem pauperis!

Qui dives es in misericordia, ac soles in hilaritate misereri, & purgas voluntatem à consuetudine mala.

Et exaudis gemitus compeditorum, & solvis à vinculis, quæ nobis

nobis fecimus, si non erigamus
adversum te cornua falsæ liber-
tatis.

Operi manuum tuarum porri-
ge dexteram, ut non, cum ceci-
dero, collidar.

Et collisus detrahar in profun-
dum laci, in quo non est aqua
ablutionis.

Libera me de ore leonis trucu-
lenti ad prædam parati, & ani-
mæ ferociter inhiantis, ut devoret.

Protektor enim meus, & libera-
tor meus tu solus es, & in sola
misericordia tua tota spes mea
est.

Fiat igitur misericordia tua su-
per me, quemadmodum speravi in
te!

50 *Psalmi Confessionales.*

Speravi, & non confundar, a
sed voti mei compos cantabo
tibi:

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.



a *Psalm. 30.*

PSALMUS IV.

Noctes meæ in mœrore tran-
fierunt, & terroribus me agi-
tant innumeris.

Conscientia concutit infomnē,
& velut gladiō ancipitū ab ea vul-
neratus torqueor.

Somnus meus variis illusioni-
bus turbatur, non mihi quietem
afferens, sed dolorem & laborem
in cogitationibus meis.

Pernocto, & cū defessus conor
dare palpebris meis dormitatio-
nem, & illico somnus recedit ab
oculis meis, & in doloribus dor-
mio perenniter.

A diurnis curis inquietā lassi-
tudine excitatus stupeo, & effer-

C 5 vent

a *Psalm.* 30.

vent omnia interiora mea absq; re-
 que. Abominabilis factus est ani-
 mæ meæ cibus, antea desiderabilis.

Potus meus cum fletu miscetur,
 a & confusio ante oculos meos
 est, ruborq; in genis meis.

Cùm recordor quàm graviter
 te offenderim DEUS meus.
 Et quàm variis modis, viribûs
 meis, & donis tuis abusus sim.

Dies meos in vanitatibus prode-
 gi, hinc noctes patior amarissimas.

Consumperunt me curæ mor-
 tales, & insensatis cogitationibûs
 huc & illuc distractus irreparabi-
 lem feci temporis jacturam.

Somnia mihi multoties fingebã,
 evanuíque delusus in vanitatibus
 & deliramentis meis.

Ascen-

a *Psalm. 101.*

Ascendebam usque ad cælos, & confestim descendebam usque ad abyssos.

Et dum abyssus abyssū invocat, contabuit in malis anima mea, & computrui coram oculis hominum.

Optabam impossibilia, & phantasticā illorum fruitione similis factus sum dormientibus, qui à somno surgentes nihil invenerunt in manibus suis.

Vilis ego sum vermiculus, & tamen me nunquam Domine cognovi; sed erectō superciliō me solum super omnes exaltabam.

Temerè jactavi verba mea, & in jactantia sapientiam esse existimavi.

C 6

Infe-

54 *Psalmi Confessionales.*

Infestus fui sociis meis, & multis sæpe iratus, absque causa contumelias irrogavi.

Abhorruì patientiam, & dilexi iram; nec causa suberat, & irascebar.

Servis atque familiaribus meis, imò & mihi met indignatus maledixi, & amicis meis cum ludibrio exprobravi.

Adversitates meas invitus tuli, & magis in homine, quàm in Domino confidi.

Impatiens veritatem audivi, & in furore sapientibus respondi.

Aspiravi libenter ad injuriarum vindictas, & ultionem DEO nunquam reservavi.

Adversus tuentem causam suam
exaspe-

exasperabar, nec responsio mollis,
aut via lenis complacebat.

In litibus & contentionibus re-
creabar; & inimicitias & discor-
dias malevolas sæpe inter fratres
feminavi. *a*

Salubria, & recta consilia auri-
bus percepi; sed disciplinam non
apprehendi.

Consiliarios prurientes auri-
bus libenter percepi; placidòque
aspiciebam vultu.

Liberò verò animò loquentes
mihi, longè faciebam à me.

Egentibus manum non exten-
di, & cum esurientibus panem
meum non comedi.

In plateis jacebant leprosi, &
mendici; ego autem transivi aver-
tens oculos ab eis. Ne

a Prou. 6.

Ne commoverentur viscera
mea, & misericordiâ commotus,
eleëmofynam darem eis.

Debitum mihi mutuantibus
non solvi, & ut inordinato appe-
titui parérem, ære alieno me gra-
vavi.

Ad illicita patranda dives esse
concupivi; ad officia verò pia sem-
per me pauperem ostendi.

Et quod pietati defuit, concupi-
scentiæ meæ affluenter abundavit.

In commestationibus, & con-
viviis ultra modum lætatus sum,
& naturam paucis contentam, in-
satiabili voracitate vitiavi.

Venter meus fuit quasi DEUS
meus, & gloria mea in puden-
dis eorum, qui terrena sapiunt.

Accu-
a *Philip. 3.*

Accuratiores, & suaviores cibos exquisivi, & obtentu necessitatis obumbravi sæpe negotium voluptatis.

Cum adulteris portionem meam posui, *a* & cum mœchis familiaris conversatio mea fuit.

In carne & sanguine immoderatè versatus sum, & jumentis insipientibus comparatus.

Adeò me in hoc vitio prostravi, ut pudeat dicere, quæ non puduit me fecisse.

Vanitati aures, & lingua mea serviebant, dum per illas impinguabat caput meū oleū peccatoris.

Et per hanc sæpè supplevi, quod in laudibus meis alij minus fecisse videbantur:

Et cūm opportunè poterā trade-

re aliis laudes meas, & meo & alieno ore semper gestiebā prædicari.

In omni genere deliciarum sæculi, à deliciis domûs tuæ longè, latèque exulavi.

Et si quando metus mortis, ac futuri iudicii socordiam meam excitabat, & me à profundissimo voluptatis gurgite ad horam revocabat, subitò tanquam canis ad vomitum revertēbar.

Ah! In iis mortuus adhuc vivo, & in morte manens ad mortem festino, quam cum festinatione quoq; venientem ad me cerno!

Sed citò anticipent me misericordix tuæ Domine! a priusquàm veniat dies illa terribilis, calamitatis & miserix, dies magna & amara valdè! Ut

a *Psalm. 78.*

Ut tamen moriar, tamen vivam, & enarrem miserationes tuas super omnia opera tua.

Respice Domine, & vide, quomodo anima mea jacet in concupiscentiis suis paralytica, & ab eis male vexatur!

Erue eam de visco tenaci mortis, ut tibi soli, qui solus vita es inhæreat.

Et relictis omnibus sequatur te;
T E, quis es super omnia.

Dic animæ meæ Domine **DEUS** salutis meæ: Salus tua ego sum, a fiat tibi sicut vis!

Fac audire me hanc vocem tuam, vocē exultationis & salutis. b

Ut curram post eam, & apprehendam te, apprehensumque teneam,

a *Psalm 34.* b *Psalm. 117.*

60 *Psalmi Confessionales.*

neam, nec dimittam, donec me sanum dimiseris.

Ad quem enim præter te infirmus ibo, ut curet me? ut quis poterit sanare infirmitatem meam?

Nisi qui propter nos homines, & propter humanam nostram salutem descendit de cœlis, ut sanarentur à languoribus suis?

Quis vivificare poterit, nisi qui mortificat, & vivificat omnia?

Quis salvare poterit, nisi tu **DEUS** meus; & Salvator meus in tempore retributionis?

Salva ergo, & vivifica me, qui vita, & salus æterna es, omnium in te confidentium!

Tibi autem in initio omnis experti sine fine gloria, tibi laus, & honor, tibi jugis adoratio, tibi gratiarum

tiarum

tiarum actio, fons perennis misericordiarum!

Procul ego à te recesseram, & elongavi fugiens.

Et tamen ægro fugienti, dum te vocat, præsto ades; priùsq; ei salutem tribuis, quàm gemitù audias.

Sufficit enim velle sanari, ut sanes; velle vivere, ut vitam præstes, & in benedictione dulcedinis tuæ prævenis desiderium peccatoris, se ipsum cognoscentis. *a*

Dicam ergo tibi Domine: (& sufficet mihi) Iniquitatem meam ego cognosco! & quid est, cognosco, nisi sanari volo?

Et inde cognosco, quoniã conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valdè à peccatis meis. Ecce

a Psalm. 20.

Ecce jam iniquitates meas pono in conspectu tuo DEUS meus, ut cures & sanes animam meam, quia peccavi tibi!

Sicut enim non DEUS volens iniquitatem tu es, *a* ita non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat. *b*

Suscita me de somno mortis, die animæ meæ: surge quæ dormis, & exurge à mortuis! *c*

Non enim mortui laudabunt te Domine; sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino. *d*

Confitemur ei, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

a Psal. 5. *b* Ezech. 18. *c* Eph. 5.

d Psalm. 113.

PSALMUS V.

Misérias tibi Domine meas
revelavi. Non ut tibi no-
tas faciam vias meas, qui omnes
ab initio prævidisti, & omnes
pressus meos dinumerâsti. *a*

Nôsti enim abscondita tene-
brarum, & oculis tuis nuda & a-
perta sunt omnia.

Ipsaque non modò cernis, fed:
& discernis cogitationum late-
bras, & medullas affectionum.

Quas ego detego, ut tegas & pro-
tegas, revelo ut abscondas, humi-
liatúmque & contritum spiritum
in me agnoscas.

Et per hujus oblationem Sacri-
ficii, tibi omnium gratissimi, pro-
pitius

a Job. 31.

pitius mihi sis, & parcas peccatis
meis.

Multa dixi, & quidem gravia,
sed pauca hætenùs cõmemoravi.

In pluribus enim pungit me
vermis conscientiaẽ meæ; utinam
rodatur putredinem, ut rodendo
consumatur, & ipse pariter in ni-
hilum redigatur!

Nec foveri incipiat in immor-
talitate; sed mordeat ut moria-
tur, & paulatim desinat mordere
mordendõ.

Sed heu mihi! quia cùm finem
me fecisse puto, in annunciandis
malis meis, tunc cogor quasi de-
nuò incipere.

Et memoria mea plena spurci-
tiarum, abundatiùs alias, atque
alias recolit fordes.

Rec-

Peccavi enim super numerum
arenæ maris ; & si mihi centum
sint lingue, sint oraque centum,
vix è mille millibus unum refe-
ram.

Id tamen dolorem meum au-
get, quòd omnes transactas fœdi-
tates meas, & carnales corruptio-
nes animæ meæ reminisci non
possum.

Dum enim nova committo
crimina, veterum obliviscor ; sed
quæ recordor, non filebo.

Non quòd amplius ea amare
velim, sed ut te validissimè amem
DEUS meus!

Et ut recolenti vias meas ne-
quissimas, in amaritudine reco-
gitationis meæ dulcescas mihi
dul-

dulcedo non fallax, dulcedo amabilis, dulcedo foelix, & segura!

Amica itaque mihi fuit invidia, & charitas inimica!

Regibus, & Principibus, atque Ecclesiæ Ministris detraxi, & momordi eos mendacî susurrô.

Justorum laudes & merita denigravi, & impiorum facta approbavi.

Si quando probis hominibus laudabilis sermo fuit, obijciebam falsas maculas, & occultos eorum defectus propalabam.

Atque in eos sævissimus, quasi de graviore crimine apud alios eos accusabam.

Si verò contra pravos infamia laborabat, repente exiles virtutes eorum

eorum

eorum concinnabam, & meritīs
eos, dignioribus se anteferebam;
majorisque eis ruinae causa fui.

Si videbam furem, currebam
cum eo; & ut nequitiam meam
consummarem, adversus filium
matris meae ponebam scandalum.

Et à calumnia, & fraudibus con-
sanguineis meis non parcebam.

Optavi proximo meo infelici-
tates & ærumnas, & in sola morte
illius spem meam collocavi.

Innocentium causam non de-
fendi, & nocentibus, quasi de eo-
rum cruciatibus gaudens, impro-
peravi.

Multos temerè culpæ reos esse
judicavi, & in oculo fratris mei
modicam festucam videns, in

Do

pro-

propriis oculis magnam, atque
crassam trabem non sensi. *a*

Acediam tanquam matrem colui; fuit otium mihi frater, & fugi omne honestum exercitium ac laborem.

Torpebam per dies, & de quotidianis in me collatis beneficiis, grates DEO meo non reddebam.

Quàm rarò verò per dies, nedum per noctes in lege tua, & in mirabilibus tuis meditatus sum: tu scis Domine!

Insomnem sapè totam noctem duxi, & cùm mens mea huc atque illuc ab uno Te vagaretur in multa, nuspiam occurristi ei.

Sine te ad lectum accessi, sine te à lecto surrexi, sine te illuxit dies,
sine

sine te tota pertransiit; & ideo sine te semper fui, qui longè absum à te in tenebroso affectu meo.

Si fortè tamen veniebas mihi aliquando in mentem, & mirabilia opera tua considerare incipiebam, subito sarcinâ sæculi (sicut in somno affolet) dulciter premebar.

Et cogitationes, quibus meditabar te, similes erant conatibus expurgisci volentium; qui tamen superati soporis altitudine, remerguntur.

De rebus conscientiaæ meæ sæpè ordinare proposui; sed delusit me semper dies præsens sub expectatione futuri.

Supra fragile & fallibile fundamentum innixus sum, & baculo

D 2 arun-

arundineo atque contracto incubui.

Et dum in eo confisus putavi firmiter stare, cecidi in ignem, & agnovi cadens, quàm debiliter steterissem.

Inhiavi suū inextinguibili honoribus, & lucris; & in his cupiditatibus sævissimas passus sum difficultates.

Quilibet incompositus, & indisciplinatus mihi amicus erat; & veniam amicitiae coinquinabam sordibus concupiscentiae, candoremque ejus obscurabam tartareâ libidine.

Rapiebant me spectacula theatra, plena imaginibus miserrarum mearum, & fomitibus ignis mei.

Nec

Nec solum aditus mortis non observavi; sed etiam fenestras ei aperui.

Fueruntque singula membra mea fenestræ singulæ, quibus ad animam meam mors intravit.

Et sic subeuntibus novis; vetustas sordes minimè expurgavi; quin potius multa horum in me germinaverunt peccata.

Propter quæ à facie tua ejectus sum, DEUS meus! & à tuæ præsentis solamine destitutus, quasi in desperationem corruo, ignorans: quò vadam.

Sed quò à te recedens ibo? aut quis in faciem meam aspiciet, si tuam averteris à me, & velut reprobatum tuo me privaveris conspectu?

D 3 Odio-

Odiosus procul dubio ero omnibus hominibus, & tanquam vagus ac profugus super ierram.

Opprobrium & derisio fiam eis, dum quæsierint à me: ubi est DEUS tuus? & quare repulit te à conspectu suo?

Quid igitur faciam miser, cum me à protectione tua alienum, & in medio inimicorum meorum, adversum me fortiter pugnantiū, à te derelictum intuear?

Faciem tuam Domine requiram, & vultum tuum gemebundus deprecabor: ne derelinquas me, & ne declines in ira à servo tuo!

Me etenim tanquam fugitivum persequuntur omnes inimici mei, ut comprehendant, & occidant;

&

& ideò ad te, quem fugi, confu-
gere me nunc oportet unicè.

DEUS meus, fortitudo mea,
refugium meum, & virtus mea in
die tribulationis! *a*

Sicut enim non est DEUS abs-
que te, ita & absque te non est Sal-
vator.

Tu ergo Domine, qui omnes
miserias meas nôsti, & à quo fig-
mentum fragilitatis meæ non est
absconditum.

Projice post tergum omnia
peccata mea, *a* & iniquitatum
mearum antiquarum ne memi-
neris. *b*

Sed salvum me fac secundùm
misericordiam tuam, ex omnibus
persequentibus me, & libera me! *c*

D 6 Quo-

a *Isaia* 40. *b* *Isaia* 38. *c* *Psal.* 780

Quoniam non est, qui redimat,
neque, qui saluum faciat. *a* nisi tu
Domine, qui salvos facis omnes
sperantes in te. *b*

Et liberas pauperem à potente,
& de manu fortiorum ejus.

Ne abscondas ergò à me, Do-
mine, faciem tuam; nec despicias
me DEUS, salutaris meus, fir-
mamentum meum, & liberator
meus!

Quoniam pauper & inops ego
sum nimis; & oculi autem tui in
pauperem respiciunt. *d*

Et si justitia tua me quæsierit,
absconde me in sinu benignitatis
tuæ, quâ me ferens longanimiter,
ad pœnitentiam invitâsti.

Longanimis enim es, patiens
&

a Psal. 7. b Psal. 16. c Psal. 85. d Ps. 10.

& multum misericors atque præ-
stabilis super malitia.

Quin imò nihil tibi magis pro-
prium, quàm misereri semper, &
parcere.

Et ideò omnium misereris, quia
omnia potes; & dissimulas pec-
cata hominum propter speratam
pœnitentiam. *a*

Parcis autem omnibus, quo-
niam tua sunt Domine, qui amas
incomparabiliter animas.

Convertere ergò ad me, & eri-
pe afflictam animam meam de
omni angustia!

Ut repleatur cor meum laude,
& dicat tibi: Benedictus Domi-
nus, qui non permisit me dari in

D S captio-

a Sap. II.

captionem dentibus adversario-
rum meorum!

Nisi quia Dominus mihi adju-
tor, fortè vivum deglutissent
me.

Nunc autem Anima mea, sicut
passer erepta est de laqueo venan-
tium; laqueus contritus est, &
ego liberatus sum! *a*

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.



a Psalm. 123.

PSALMUS VI.

ME miserum ! quid agam ?
quia singularis fera depasta
est animam meam. *a*

Et factus sum in prædam ini-
mico contra me sævienti.

Omnibus me spoliavit bonis,
quibus tu me Domine ornâsti ; &
coram te timeo nudus apparere.

Dives, ac decorus à facie tua e-
gressus sum ; & abii vagus post sor-
des, in via corrupta, & in pravita-
te cordis mei.

Et denigrata est anima mea su-
per carbones, & immutatus est
color ejus optimus. *b*

Et qui croceis nutriebar, am-
plexatus sum stercora ; ideóque

D 6

vili-

a Psal. 79. *b* Thren. 4.

vilibus peccatorum vestibus indutus, memetipsum exinanivi, ac deformavi, secundum similitudinem prævaricationis Adæ.

Ut in imagine, in qua tu Domine creâsti me, tibi jam cognitus non sim.

Et quasi scabiosam ovem inter oves pascuæ tuæ commorari me jam non permittas.

Quomodo ergò ad præsentiam immensæ Majestatis tuæ, in cujus conspectu cœli non sunt mundi, vacuus, immundus, ac vilis audebo redire?

Delinquendo infatuatus, quomodo audebo communicare cum electis tuis?

Rediissem utique, Pater optime, licet pavidus ac pudefactus,
pater-

paternâ tamen tuâ benignitate
fretus! dulcis enim pater es filio
proficiscenti in longinquam re-
gionem; sed ex diuturna peregri-
natione redeunti multò dulcior.

Attamen redeundi ad te DEUS
meus facultate careo ex me.

A sævissimo enim prædone
vinctus teneor, non ferrô alienô,
sed ferreâ meâ voluntate, ex quâ
catenam mihi construxit inimi-
cus.

Qui in operibus duris, *a* atque
in omni vitioso famulatu ad ama-
ritudinem perduxit animam me-
am.

Refugium meum longè est à
me; quia longè à peccatoribus
salus. Et in misera servitute mori
com-

a Exod. i.

compellor, nisi tu Domine de cœlo prospiciens opem feras.

In limoso profundi limo, ac luto infixus sum, & tempestas tentationum, quasi fluctus sævi maris, obruit atque demersit me.

Ita, ut imminetia pericula posse me evadere desperem, nisi assumpseris me **DEUS** meus.

Quò enim surgere magis nitior, cò gravius allidor. Intus & foris mihi sum molestus, & utrobique hostes domesticos invenio, qui me pessumdant.

Ad dexteram, & ad sinistram circumspicio, & neminem, cui me tutò credam, perspicio.

Sed undequaque metus concutit; & ad quemcunque diverto, amicum fidelem non reperio.

Et

Et quomodo reperiam, qui
DEO meo datam fidem non ser-
vo?

Consolantem me quæsi in
afflictionibus & calamitatibus
meis, & non fuit, qui me conso-
laretur ex omnibus charis meis. *a*

Sed incidi in homines verbo-
sos & loquaces nimis; quin po-
tius mutos, & ob hoc mutos: quo-
niam non ex eis sonabat verbum
tuum, DEUS meus.

Sed delictum oris eorum, ser-
mo erat labiorum ipsorum, *b* qui
defectus meos sine compassione
damnabant.

Et insultantes mihi, durè & in-
vectivè adversum me jurgia pro-
vocabant.

Stul-

a Thren. I. b Psalm. 58.

82 *Psalmi Confessionales.*

Stultis deceptoribus sæpe suffragatus sum; & à recto tramite declinans, in eorum semitam, & sententiam ignarus ivi.

Sensimq; adeò, & paulatim ab eis perductus sum ad eas nugas, & insanias, ut quamvis à Religione vera (te opulante) nunquam defecerim, crederem tamen multas nanias.

Cæterùm inexcusabilis homo ego sum, quia cum te DEUM in veritate semper cognoverim, non in veritate & spiritu adoravi.

Sed commutavi veritatem tuam in mendacium; & servivi creaturæ potiùs, quàm Creatori.

Et in rebus corruptibilibus unum me, atque cæteras voluptates meas exquisivi.

Sed

Sed age Domine (dulcedo mea,
& fiducia mea!) & quemadmo-
dum fecisti, ut in vera fide te
agnoscam.

Sic excita me in peccatis dor-
mientem; & illumina oculos
meos, ne unquam obdormiam in
morte. *a*

Illumina, accende, & erige eos
ad te; ut in lumine tuo videant te
lumen æternum, lumen indefi-
ciens, & inextinguibile, lumen
dulce, & delectabile.

Videant, & lætentur, atque
concupiscant decorem tuum, sci-
antque ulli animæ nihil præter te
esse diligendum.

Tu Domine, qui lux vera es,
illuminans omnem hominem ve-
nientem in hunc mundum.

Fac oriri hoc lumen tuum in
tenebris meis, & desiderare me ju-
stificationes tuas!

Ut vi amoris liquefacta anima
mea a deficiat in salutare tuum,
atque sitiatur delectationes tuas.

Animam MEAM dico: sed li-
ceat mihi TUAM dicere; tua enim
est, quia tu eam creâsti, ac dedisti;
mea verò est, quia à te recepi.

Custodi ergo creaturam tuam,
quam ad tuam imaginem singula-
riter formâsti.

Et ne permittas perire pretio-
sum donum tuum, quò me super
omne opus manuum tuarum sub-
limâsti.

In corpore meo, & in mem-
bris meis exige quidquid vis.

In-

Induatur caro mea putredine,
a & consumatur vermibus! sed
quæso Domine, tantum parce
animæ meæ, & in eam non exten-
das manum tuam!

Me reduc in via tua ante Solis
occasum (advesperascit enim) &
jube me venire ad te.

Si vocare parùm est, coge ut li-
bet, modò vadam, & non peream.

Non propter me, qui tuâ mi-
sericordiâ roties abutens, eâ me
indignum feci.

Sed propter nomen sanctum
tuum, aufer à me cor lapideum,
& da mihi cor carneum.

Ac pone Spiritum tuum in me-
dio mei, ut ambulem in præce-
ptis tuis, & judicia tua custodiam.

Serò

Serò nimis ad te venio, Domine (fateor) utinam venissem citiùs!

Sed scio, & certus sum, quod venientibus tempus non præscribis, modò veniant.

Nec minùs benignè recipis novissimos, quàm primos.

Quamvis enim odio peccatum habeas, peccatorem tamen non odisti, nec in perditione ejus lætaris. *a*

Et ideò, etsi longam moram fecerit, tu tamen patienter expectas eum.

O quàm dulcis, & quàm sua-vis vox illa tua, in qua animæ meæ spem dedisti Domine! *b*

Dicens: Fornicata es cum amatori-

a Sap. 1. b Psal 118.

toribus multis; tu tamen revertere ad me, & ego suscipiam te.

Quàm delectabile ac jucundum verbum illud, quò peccatorem, de se ipso diffidentem consolaris: Si impius egerit poenitentiam de omnibus peccatis suis, vitâ vivet, & non morietur! *a* Nunquid enim voluntatis meæ est mors impii?

Magnâ quidem cum jucunditate audio: quò exultantis pastoris humeris reportetur ovis, quæ erraverat. *b*

Et drachma revertatur in thesauros tuos; collatantibus vicinis, mulieri, quæ invenit.

Et lachrymas excutit gaudium solennitatis domûs tuæ, cùm legerem

a *Ezech. 18.* *b* *Luce. 15.*

gerem in eo de minore filio: quoniam mortuus erat, & revixit.

Da ergo, Domine, animæ meæ vocem virtutis tuæ! nec virtutis tantum, torporem excutientis animarum, sed & radium lucis, annunciantem pariter hominibus peccata eorum, & illuminantem abscondita tenebrarum.

Sonet vox tua in auribus cordis mei, & dic animæ dormienti: quid tam diu lethargico gravaris somno? & vinculis peccatorum captiva detineris, dentem expectans feræ pessimæ?

Hora est jam de somno surgere, & derelinquere viam tuam; atque reverti ad me, qui redemite. *a*

Revertere Sunamitis, revertere

a Cant. 6.

ut in-

ut intueamur te ! Revertere &
non tardes amplius venire ad
me ! a

Ego enim sum Dominus Deus
tuus, qui amanter voco te.

Ego sum ipse, qui *deleo* iniqui-
tates tuas propter me, nec habeo in
memoria *priora*.

Ah ! ad hanc nimirum vocem
fiducialiter dicam ego: Converte-
re anima mea in requiem tuam,
quia Dominus benefecit tibi !

Ad eum secura vade, & licet à
vitiis tuis pessimis lassata, eò citius
perge, quò citius requiescere con-
cupiscis.

Noli terreri peccatis tuis ! si
enim fuerint ut coccinum, quasi
nix dealbabuntur, & sicut nebula
delebuntur.

Nec

a *Isaia 43.*

Nec de audacia accusari verearis, ubi de obedientia laudaris.

Vade, & propera anima mea ad eum, qui non venit vocare justos, sed peccatores!

Et si peccatrix es; DEUS peccatorum, DEUS tuus est.

Quid ergò ire times, quæ non à severo Judice vocaris; sed à Patre misericordiarum, ut misericordiam consequaris?

Ideò vade nunc lubens ad misericordiam vocata, ne postea ad iudicium compulsà vadas.

In te jam Domine, & Pater inclite confido; nec erubescam confiteri tibi deformitates & blasphemias meas.

Qui non erubui profiteri ea coram

ram

ram hominibus, & latrare adver-
sum te. *a*

Murmuret Pharifæus, & dicat:
Quis potest dimittere peccata,
nisi solus DEUS?

Mihi etenim, qui id loquitur,
DEVS est, cujus sermo vivus &
efficax.

Qui me vocat, pius ac tranquil-
lus est; & qui non solet continere
in ira sua misericordias suas.

In verbo itaque tuo securus ibo
ad te, DEVS meus, fiducia mea,
& portio mea in terra viven-
tium! *b*

Ibi procidens ante te, etiam Ma-
jestatem tuam non horrebo, quo-
niam tu vocas me.

Et ne offendam oculos tuos

E. (dum

b *Psalms. 142.*

(dum immundus appareo in conspectu tuo) sordes meas abluam lachrymâs assiduâs, & palpebra à fletu non quiescet.

Sed erit lectus meus conscius doloris mei, quo tibi placeo, dum mihi displiceo.

Et per te ad te conversus, de commissis pœniteo ; ut mundo corde laudem te, dicens: Domine, quis similis tibi?

Tunc enim erit speciosa laus in ore peccatoris, & qui seminaverit in lachrymis, in exultatione metet. *a*

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

PSALMUS VII.

Miserere mei DEVS quoniam
tribulor, & inenarrabilibus
crucior, urgeorque miseris!

Torrentes enim iniquitatis con-
turbant me, & intraverunt aquæ
usque ad animam meam. *a*

Ita ut quasi fluvius inundans
peccata mea, quæ hactenus dissi-
mulavi; confiteri quoque, & e-
mendare neglexi, eò usque excre-
verint, ut supergressa sint caput
meum.

Et ad sensualis appetitûs con-
cupiscentiam, mentem & volun-
tatem meam inflexerint; imò ser-
vituti Diaboli me subjecerint.

Væ mihi, quia totus lethaliter

E 2 pla-

a Psalm. 68.

plagatus sum, & à planta pedis usque ad verticem nulla est in me sanitas!

Supplantavit enim me inimicus meus, & tanquam crudelissimus Tyrannus in me sæviens, omnibûs me sensibûs privavit.

Relinquens solum intellectum, ut de damno & jactura mea, addendo scientiam, adderet etiam & dolorem.

Parùm quidem noceret, si omnimodâ functione sensuum me orbasset, & in cunctis actionibus meis prorsus insensibilem me fecisset.

Sed orbavit ad bonum, & vim intulit ad malum, & stupore quodam insensibilitatis internæ, animum meum per exteriora effusum,

sum, sic affecit, ut damna interiora non sentirem. Cùm enim audire expediebat, surdus eram, & à veritate auditum avertebam. *a*

Cùm verò aures obturare æquum erat, ne audirem inutilia, & ineptias multorum, velox tunc ad audiendum, ac benevolus auditor semper eram.

Cœlestia tanquam insipida gustabam, & ab omni spiritali cibo nauseabat anima mea.

Terrena verò super mel & favum dulciora judicabam. Ad contemplanda, quæ DEI sunt, cæcus & animalis homo eram.

Quæ verò mundi sunt, superbò oculò videbam, & infatiabili corde cupiebam. Nec in sensibus

E 3 tan-

a 2. Timoth. 4.

tantum, sed & in membris meis,
(quæ dedit mihi DEUS ministe-
rium animæ meæ) viam salutis
mihi occlusit antiquus hostis.

Et tales in hac dira obsidione
paravit insidias, ut eas vitare
vix unquam potuerim.

Sed quoties fugam tentavi, in-
cidi in manus persequentium ani-
mam meam.

Peccavi enim videns, & vide-
re nolens; obsurdescens, & audi-
re volens.

Faciens, & loquens; stans, &
sedens; dormiens, & vigilans; am-
bulans, & quiescens.

Omnem denique proprium &
communem usum sensuum, &
membrorum, in turpem abusum
immu-

immutavi, exardescens in im-
mundis desideriis meis.

Adeò, ut omnem legem natu-
ralem, Divinam & humanam
transgressus sim; & in sola pecca-
ti lege observanda diligens fue-
rim.

Utinam fuisset, & jam non
essem! sed heu! quoniam idem,
qui antea fui, adhuc sum; nihilque
mutatus ab illo, deteriora se-
quor!

Adhuc enim præsidens volun-
tas languida denominatur, & ani-
ma mea foedissima, pariter atque
foeditissima, horrendis ulceribus
undique scaturiens, non aliunde
quàm à seipsa in pristinis malis
perseverat.

Sæpe mihi irascor, quia tædet

E 4 me

me vivere, cum tamen non tædeat peccare.

Cognosco stultitiam meam, & confundor; ac confusus me reprehendo.

O carnalis amator, cur in luto concupiscentiarum tuarum tam diu foedè jaces?

Quid tantâ sollicitudine de rebus mortalibus satagis? & peritura bona tam vehementi affectu cupis?

Aut quâ ratione bona dicis, quæ cum nimio labore, & magno animæ tuæ detrimento acquiris?

Acquisita cum timore possides, & possessa cum dolore amittis?

Cur anima mea propriæ conditionis, & nobilitatis tuæ obvisceris? & sub putredine corporum
reorum

teorum sensuum , miseram & contumeliosam servitatem gerere non erubescis ?

Cur infidâ mundi promissione deciperis ? nec advertis , quòd illius summum bonum vapor est, ad modicum parens , & vanitas vanitatum ?

Erubescere peccator miserrime ! quoties ad fallaces creaturas conversus, à Creatore tuo recessisti ?

Et rediens ad temetipsum , vide qualicumq; oculò mentis tuæ : quàm crudeliter miseræ venationis obtentu anima tua evisceravit semetipsam !

Dum vilem muscarum prædam , immoderato captans desiderio , araneorum instar , ex

E s pro-

a D. Bern.

propriis visceribus sibi retia mortifera intexuit.

Erubefce, iterū atq; iterū dico, in iis, quibus nullum fructum habuisti; & amissum tempus plora, ut fructū afferat tibi erubescencia.

Præbe cor tuum DEO, & solves, quod debes. *a*

In his sermonibus exacerbor in me: dum interiūs admonitus, intro in interiora mea, conferens in corde meo quid amiserim, & quid invenerim.

Nam non, quòd probo bonum, sed quod volo malum, hoc ago. *b*

Velle enim meum tenet inimicus; & configuratum prioribus ignorantiaæ meæ desideriiis captivat me in lege peccati. *c* Sed

a Irov. 23. *b* Rom. 7. *c* Rom. 7.

Sed tu Domine DEUS virtutum, Turris fortitudinis meæ, & Dominator vitæ meæ, auxilium tuum ne elongaveris à me!

Ad defensionem meam conspice, & protege me sub umbra alarum tuarum!

Ne corruam in conspectu adversariorum meorum, & de me gaudens inimicus meus dicat: prævalui adversus eum.

Dirumpe vincula improperii mei, sub quibus incurvatus sum; & funes peccatorum meorum, quibus fortiter constrictus sum.

Solve potentissime Domine, & notam fac inimicis meis potentiam tuam.

Ut immolem tibi hostiam jubilationis, dicens: Quis loquetur

102 *Psalmi Confessionales.*

potentias Domini, aut quis enarrabit omnes laudes ejus? a

Qui eripuit animam meam à morte, pedes meos à lapsu.

Qui salvavit me ex ore Leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam.

Ad quem clamabo, nisi ad quem clamaverunt Patres nostri, & salvi facti sunt?

Ad te, inquam, qui non frustraris sperantes in te.

Pone itaque me Domine juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.

Nulla enim timebo mala, quoniam tu mecum es. Ante te omne desiderium meum.

Dele, & detrahe à me, quod planè alienū est à te: innova, crea &

a *Psalm. 105.*

con-

Psalmi Confessionales. 103

confirma, quodcumque dederis.

Ut abjectis carnalibus & inutilibus omnibus desideriis, laudetur peccator in desiderio animæ suæ, te solâ verâ jucunditate frui desiderans.

Intret postulatio mea in conspectu tuo! & in confidentia dicam tibi: Desiderium animæ meæ, tribue ei **DEUS** meus!

Scio namque, & certus sum: quòd nemo potest desiderare te, nisi per te; nec ire ad te, nisi tu traxeris eum.

Trahe ergo me, Domine, & da mihi incipere in bono desiderio; ut illud perficiam, atque consummem in opere bono.

Antequam novum propositum mos vetustus opprimat, & prior volun-

104 *Psalmi Confessionales.*

voluntas vetustate roborata, novam superet.

Ut cum recta placent, revertar ad solita.

Indue me pretiosis vestimentis salutis ac decoris tui, & denuda me vilibus viduitatis meæ indumētis.

Quibus ornatus secundum pristinam conversationem veteris hominis miserè incedo.

Et tunc noli opprobrii viduatis meæ recordari amplius.

Ut in te noviter indutus, atque novus homo factus, novo spiritu, in novitate vitæ serviam tibi.

Et in fragrantia unguentorum tuorum ad te recurrens, gaudeam in JESU Salvatore meo.

Gloria Patri & Filio &c.

Sicut erat in principio, &c.

*ANTONII AD
DEVM Summum totius
orbis moderatorem
deprecatio.*

Domine DEVS omnipotens, Creator cœli & terræ, Pater misericordiarum & DEVS totius consolationis.

Qui consolaris nos in omni tribulatione nostra, & in ea interiorius ad te clamantes exaudis.

Protector meus, & liberator meus, gloria mea & exaltans caput meum, fortitudo mea, & refugium meum, suavis universis.

Cujus misericordia à progenie in progenies, delens iniquitatem propter temetipsum.

Tu,

Tu, inquam, lumen illud indeficiens, & mortalibus admirabile, habitans lucem inaccessibilem.

Quam nullus hominum vidit, nec videre potest; de profundis ad te clamantis orationi intende.

Scio equidem, quòd non est Sapientia, non est consilium, non est fortitudo contra te.

Qui respicis terram, & facis eam tremere, qui tangis montes, & fumigant.

Qui conturbas profundum maris, faciens mirabilia in abyssis, qui producis ventos de thesauris tuis, & fulgura in pluviam facis.

In cujus ditione cuncta sunt posita, cui mentes illæ ætheræ & Angelicæ, ac Divi omnes subsunt.

Quæso, ac supplex obsecro te,
O DEVS

Ô DEVS cordis mei , pars mea
DEVS in æternum!

Spes mea ab utero , & ab uberibus matris meæ.

Qui docuisti me à juventute mea ; ne derelinquas me cùm senuerit hæc cutis mea, & defecerit virtus mea!

Memor esto hujus indigni servi tui N. qui sese totum tibi tradit, totum commendat, & flebiliter committit.

Vt si quando rugiens ac mugiens sævierit tempestas, sub umbra alarum tuarum me protegas.

Et misericordiã motus, abscondas me, donec pertranseat furor tuus.

Abscondas me, inquam, puerum tuum, imò vilissimum ac miserri-
mum

mum vermiculum, in foraminibus petrae, in caverna maceriae.

Petra autem (scis amantissime Pater) est Christus filius tuus dilectus; cujus livore sanati sumus.

Non ergo secundum peccata mea agas, nec intres in iudicium cum servo tuo.

Si enim iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit?

Delicta juventutis meae, & ignorantias meas ne memineris.

Sed ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & respice in faciem amabilis Christi tui.

En ipsum tibi offero, quem unxisti oleo lætitiæ præ confortibus tuis!

Quem

Quem propitiatorem misisti, quem Sacerdotem constituisti, secundum ordinem Melchisedech; ut is assidue accedens ad te, sedensque ad dexteram tuam, per semetipsum interpellet pro nobis.

Offero, inquam, eum tibi totum, pro me toto quantus sum.

Sint profundissima ejus vulnera; sit sancta ejus Passio animæ meæ medicamentum!

Ut ubi (proh dolor!) abundavit delictum, superabundet & gratiâ.

Remitte Domine, remitte scelera mea, & sicut publicano fuisti, ita & mihi propitius esto peccatori!

Non in justificationibus meis, qui totus inutilis sum; qui peccavi

cavi

cavi in coelum, & coram te, pro-
sterno preces.

Sed in miserationibus tuis mul-
tis, ac magnis; quia sunt super
omnia opera tua.

Salva me, quamvis indignum,
per ineffabilem clementiam tuã.

In justitia tua libera me, ut si-
mul tibi cantem justitiam, & mi-
sericordiam.

De misericordia enim tua uti-
que desperarem, si de justitia tua
certus non essem.

Pelle enim, & carnibus vestisti
me, ossibus & nervis compegisti
me.

Nôsti figmentum meum, ideò
miserere mei, quoniam infirmus
sum!

Scis Domine, quòd in iniqui-
tati-

tatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Cinis sum & terra: talem manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me.

Operi igitur manuum tuarum porrige dexteram; ne cum cecidero, collidar.

Cadam, fateor, quia caro infirma; sed tu Domine suppones manum tuam.

Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

Ne quæso faciem tuam abscondas, aut contra folium quod vento rapitur, ostendas potentiam tuam, aut stipulam siccam persequaris!

Ne in furore tuo arguas me, nec in ira tua corripias me!

Potius

Potiùs dic animæ meæ : salus
tua ego sum, & merces tua magna
nimis.

In te Domine speraverunt Pa-
tres nostri, & liberaſti eos.

Et ego in bonitate tua prospera
omnia, feliciffimâque mihi ſpe-
ro; ut undequaue recreatus læter
in ſalutari tuo.

Spes, animi mei nutrix, & Ma-
jeſtatis tuæ thronus me adducit,
& cùm accessum formidare de-
buiſſem, poſtulare non erubeſco.

Spes enim non confundit; cùm
& apud Prophetam cordis tui ita
pollicearis: quoniam ſperavit in
me, liberabo eum.

Conſerva ergo me Domine,
quoniam ſperavi in te!

Tu, inquam, qui via, veritas, &
vita

vita es, in dulcedine tua succurre
indigenti, quia pauper & inops
ego sum.

Adesto mihi sub hoc sole viven-
ti, perpetuus propugnator, & ve-
rè amicus fautor.

Si me justifies, quis est, qui
condemnet?

Pone me juxta te, & cujusvis
manus pugnet contra me; non e-
nim timebo mala, quoniam tu
mecum es.

Stemus simul; & ego despici-
am inimicos meos!

Effice, Bonitas summa, ne huic
animæ meæ, aut misello huic cor-
pusculo ullum aliquando immi-
neat periculum.

Nullus in me irruat, aut mihi
noceat hostis; Tuus sum ego,
salvum me fac!

Cor

Cor mundum crea in me Deus,
& Spiritum rectum innova in vis-
ceribus meis.

Gressus meos dirige secundum
eloquium tuum.

Sapientiam & intelligentiam
da mihi, ut ingrediar & egrediar
coram populo tuo.

Fac me ita vivere, ut mori sit
lucrum; sit portio mea in terra
viventium.

Utque summam tuam Maje-
statem in illa æternitatis tuæ aula,
inter electos, qui verè tui sunt,
læto extollam, laudémque
animo.



GRATIARVM
Actio contriti peccatoris,
veniam à Deo pro pecca-
tis suis impetrantis,

SIVE

PSALMUS EUCHA-
RISTICUS.

Immensas tibi gratias ago, Cle-
mentissime & piissime DEUS;
quòd recolens tot mala mea, non
horreo inde; nec erubesco, confi-
teri tibi iniquitates meas in te, ut
confitear nomini tuo misericor-
dias tuas in me.

Misertus es enim terræ, & ci-
neris, & placuit in conspectu tuo,
reformare omnia deformia mea,

F

&

& servare me ab aquis multis, ne absorbeat me profundum.

Ad inferos irem rectà per omnia scelera mea, quæ patrarem; nisi tu Domine DEUS, & Ductor meus in præcipitium me euntem reduceres ad te; quia via, veritas, & vita es. *a*

Et nisi caliginosam mentem meam splendore lucis tuæ irradiares.

Ut videns me in terra oblivionis, & in regione dissimilitudinis, clamarem ad te de profundis ignorantiaæ meæ.

Et cognoscerem, quia tu Deus, solus Salvator & Liberator meus es: qui eripuisti me de viis meis pessimis, & stimulos, quibus inde avellerer, admovisti.

Quid

a. Ioann. 14.

Quid ergò retribuam tibi, pulchritudo mea, dulcedo mea, pars mea, DEUS in æternum?

Pro miris modis, quibus usus es ad corrigendos; ac dirigendos gressus meos in viam salutis!

In vanitates ferebar, immemor tui, longèque faciebam à te vias meas.

Cùm misericordiâ motus super me, obscœnam vitam meam de cœno terrenæ voluptatis ad meliorem frugem revocâsti.

Indomitumque, & effrænem animum meum, in chamo & fræno calamitatum ac laborum constrinxisti, ut approximarem ad te.

Libenter itaque gloriabor in infirmitatibus, & afflictionibus meis, à te immissis.

Vt inhabitet in me gratia tua ;
cui debeo, quòd tot dimiseris mihi
mala , & peccata mea tanquam
glaciem solveris.

Pro doloribus verò meis, tan-
quam pro beneficiis, ac donis tuis
(quibus salva facta est anima
mea) gratias agens, vitulos labio-
rum meorum offeram tibi.

Dicens : Benedic anima mea
Domino, & noli oblivisci omnes
retributiones ejus !

Qui propitiatur omnibus ini-
quitatibus tuis, qui sanat omnes
infirmittates tuas.

Qui redimit te interitu vitam
tuam, & coronat te in misericor-
dia, & miserationibus, replens in
bonis desiderium tuum.

Ecce, quomodo susceperunt me

consolationes miserationum tuarum, quibus illuxisti mihi, Deus meus! consolator meus!

Vt amplexarer te super omnes seductiones, quas sequebar.

Ideò precor te gloria mea, celsitudo humilitatis meæ, & requies laboris mei.

Ne deficias in auxiliando mihi; ut neque ego deficiam in confitendo tibi miseras meas, & miserationes tuas.

Sed benignus accipe Sacrificium confessionum mearum, de altari linguæ meæ.

Et da mihi Spiritum timoris, ut à promissionibus tuis concipiens, deinceps cœlestibûs foveatur anima mea, & parturiant Spiritum solius salutis.

Sub umbra manûs tuæ prote-
ge me, a & in sinu misericordiæ
tuæ fove me.

Ne implumem pullum concul-
cent, qui transeunt viam.

Sed mitte Angelum tuum, qui
eum reponat in nido, ut vivat, do-
nec volet.

Tibi que jugiter inhæreat, te
assiduis orationibus, pulset: te pos-
sideat in se, sisque ei omnia in om-
nibus.

Sicut pullus hirundinis, aut
columbæ gemebundus pro esca ad
matrem clamat, sic & ego gemens,
& flens in hac lachrymarum valle
ad te clamabo DEVS meus, & Ad-
jutor meus in necessitatibus.

Vt eruas me ab omni tentatio-
ne us-

ne usque in finem, & velut adhuc
lætantem nutrias.

Vt accepto virtutis tuæ robo-
re, quamdiu in stadio hujus mun-
di curro, quæ retrò sunt, obli-
scens, ad ea verò, quæ sunt priora
ardenter extendens meipsum, te
comitante, ac protegente, ad de-
stinatum finem persequar, ad bra-
vium supernæ vocationis DEI.

In CHRISTO JESU Domi-
no nostro; qui tecum vivit, & re-
gnat, in unitate Spiritûs Sancti
DEVS, per infinita sæcu-
lorum sæcula.



AFFECTUS PECCATORIS,
DEI misericordiam ex-
tollentis.

Domine JESU, en habes
fatentem reum! pecca-
vi!

Tuis pedibus nunc advolvor,
tuo conspectu indignus, nec di-
gnus, quem terra ferat!

Non possum conqueri, quòd
mihi mineris inferos.

Ego meâ me sententiâ damno,
conscientia me non finit negare
delicta.

Quin & tot millibus populo-
rum ea nudabuntur.

Tot agminibus Angelorum
patebunt universa scelera mea.

Non

Non solum actuum, sed etiam
cogitationum, simulque locutio-
num.

Tot Judicibus inops astabo,
quot me præcesserunt in opere
bono.

Tot arguentibus confundar,
quot mihi præbuerunt bene vi-
vendi exemplar.

Tot convincar testibus, quot
me monuerunt proficuis sermo-
nibus, seque imitandos justis de-
derunt actionibus.

Domine mi! non suppetit mihi,
quid dicam, non occurrit, quid re-
spondeam.

Et cum jam intersim sævo illi
discrimini, torquet me conscien-
tia, cruciant cordis arcana.

Coarctat avaritia, accusat superbia, consumit invidia, inflamat concupiscentia.

Infestat luxuria, dehonestat gula, ebrietas confutat.

Detraçtio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas objurgat.

Discordia dissipat, ira perturbat, levitas dissolvit.

Torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, fraus atollit, calumnia pungit.

Ecce Liberator mei de gentibus iracundis! ecce, cum quibus vixi à die natiuitatis meæ, quibus & studui, quibus & fidem seruari.

Ipsa me, quæ dilexeram, studia
dia

dia damnant ; quæ laudaveram,
vituperant. *a*

Nunc tamen parcis victo, & sup-
plici reo, commissam culpam, &
meritam poenam fatenti.

Parcis Judex justissime! bis vi-
cit, qui pepercit.

Si justitiam audio, perij ; si mi-
sericordiam magnam nimis, su-
perexalto eam.

Ecquis aliter faciat, qui tua vin-
cula, columnam, flagella, spinas,
crucem, cruentos clavos, felleum
acetum, diram lanceam intue-
tur?

Nulla in me sunt merita, pro
iis tua tibi tot verbera, tot oppro-
bria, tot vulnera, tot tormenta
offerro.

Cum

a Aug. Med. c. 4.

Cum Magdalena ingemisco,
& tundo pectus cum publica-
no.

Nec jam repellis, à te ad tuos
pedes prostratum.

Cùm vides Domine JESU, quòd
meæ lachry' næ misceantur tuo
sanguini, mox misereris; exuis
personam judicis, & induis per-
sonam Patris.

Certè Judicem horreo, cruci-
fixum amplector.

Peccavi, fateor, peccata gran-
dia, peccata innumera, idcirco
flagellari, & puniri non recuso.

Flagella me Pater amantissime;
& puni me, modò parcas in æter-
nùm, secundùm Misericordiam
tuam.

Ergo

Ergo ante mortis horam inter eos me clementissimè adnumeres, quos dilectissimorum amicorum nomine in omnem æternitatem dignaberis.

Scio, Domine, scio & fateor, quòd non sum dignus, quem tu diligas!

Sed certè tu non es indignus, quem ego diligam.

Indignus quoque sum tibi servire, sed tu non es indignus servitiò Creaturæ tuæ.

Da ergo mihi Domine, unde tu es dignus; & ego ero dignus, unde sum indignus!

Fac me, quomodo vis, à peccatis cessare; ut quomodo debeo, possim tibi servire.

CON-

128 *Affectus Pecc. de mis. extoll.*

Concede mihi sic custodire, & regere, & finire vitam meam, ut in pace dormiam, & requiescam!

Præsta mihi in finem, ut me excipiat somnus cum requie, requies cum securitate, securitas in æternitate! Amen. *a*



a Med. Aug. c. 10.



*Cecidit super collus eius, & ascu-
latus est eu. Luc. 15*

ASPIRATIONES
Contritionis & amoris
affectuosa.

BONE JESU largire mihi,
quæso, sanctam, amarosam,
Divinamque contritionem; in
qua digneris non solum culpam
peccatorum meorum remittere,
sed etiam poenam eis debitam
prorsus relaxare, propter dignissi-
mam conversationem, & amaris-
simam passionem tuam! O uti-
nam nunquam te offendissem! O
utinam purum, perfectumque ser-
vitium, & amorem tibi semper
exhibuissem! Nunc ergo ab hoc
temporis momento.

O

O DEUS ego amo te;
nec amo te, ut salves me;
aut quia non amantes te
æterno punis igne.

Tu, tu, mi JESU! totum me,
amplexus es in Cruce,
Tulisti clavos, lanceam,
multamque ignominiam,
innumeros dolores,
sudores, & angores;
ac mortem, & hæc propter me,
ac pro me peccatore.

Cur igitur non amem te,
O JESU amantissime?
non ut in Cælo salves me,
aut ne æternùm damnes me,
nec præmij ullius spe;
sed sicut Tu amâsti me,
sic amo, & amabo te;

solum

solum, quia Rex meus es,
& solum, quia DEUS es.

PRÆTEREA: O Deus ego amo te!
nam prior tu amâsti me;
en libertate privo me,
ut sponte vincetus sequar te!

Nil suggerat memoria,
nisi de tua gloria;
nil intellectus sapiat,
præterquam ut te capiat!

Protestor, nihil velle me,
nisi quod sciam, velle te;
quæ dono tuo mea sunt,
hæc dono meo tua sunt!

A te accepi, recipe,
quid ijs velis præcipe;
guberna, sicut scis, & vis,
nam scio, quòd Amator sis!

Amore solo dona me,
ut ego quoque amem te,

& vi-

132 *Aspirationes Contritionis*

Et vigil, & per somnia,
hæc dando dabis omnia.

POSTHÆC: utinam quando mihi
moriendum erit, in gratia tua
vitam hanc finiam!

Eja DEUS meus concede, ut ani-
ma mea exiens è Corpore, tota
munda coram te appareat, ad
æternam laudem, & extollen-
tiam Nominis tui! In hunc
finem

Anima Christi sanctifica me;
Corpus Christi salva me;
Sanguis Christi inebria me;
Aqua lateris Christi lava me;
Passio Christi conforta me;
O bone JESU! exaudi me;
Intra tua viscera absconde me;
Ne permittas me separari à te;
Ab hoste maligno defende me;

In

In hora mortis meæ voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
in sæcula sæculorum!

Quâ infinitâ gratiâ, antequam
tunc fruar; jam dulcissime DEUS
meus, omne bonum, & thesau-
rus meus! ecce in hac peregrinati-
one præparo me; ad ibi dulciter
laudandum te; atque ex intimo
sinceri cordis præludo affectibus!
omnem tu nec animi sensum su-
peraturis; & prostratus coram
tua Infinita Majestate

Adoro te DEUM vivum, &
verum, Admiror, amo te super
omnia: Antefero te omnibus, ab-
nego voluntatem meam, acquies-
co tuæ: Abhorreo ab omnibus,
quæ tibi displicent, ô pulchritu-
do,

do, ô bonitas infinita, DEUS
meus & omnia! Ama me, ut am-
em te! Amor meus sit amussis, &
Auctor mearum omnium actio-
num.

Benedico te, ô bonum opti-
mum, cum omnibus Benedictis,
Electis tuis! Benedic mihi ô Be-
nignitas, ô Beneficentia, ô Be-
atitudo immensa! Quidquid boni
de te habent Bibliothecæ omnes,
id totum tibi offero; & tibi illis,
quos illi libri habent, modis om-
nibus benedico; & rogo, ut te
merear benedicere in sæcula!

Credo in te DEUS! Consecro
tibi Creator mi, corpus meum in
Templum; Cor meum in aram
tui Amoris! Cupio te amare cor-
dibus omnium Cælitum, omni-
um

Et Amoris affectuose. 135
um Creaturarum. Consolationem omnem, quam è creaturis capere possem, tibi offero. Ô DEUS. totius Consolationis; Custodi me, tanquam rem Curæ tuæ datam, ut rem tuam!

Detestor mala omnia: sed de meis potissimum peccatis doleo super omnia, quia diligo, & desidero plus te diligere super omnia. Dimitte mihi debita mea! Doce me fieri discipulum tuum; ut non sciam delectari, nisi in TE, dulcedo prima, pura, & immortalis. Execror omnia mea mala, Exalto summè omnia tua bona; Exulto in omnibus tuis summis bonis. Experge fac cor meum ad exquirendum te! Expugna torporem meum, expurga sordes meas;

CVA

136 *Aspirationes Contritionis*
evacua, exue me memetipso! Da,
ut exinaniam me coram te Cre-
ator mi! ut nihil amoris mei erga
me maneat in me, sed totum tran-
seat in te, & nihil amem, nisi TE.

Flecto genua mea coram te, &
supplex fio ante te! Fac ut fugiam,
quidquid me impedit, quò mi-
nus fervendissimè amem TE, fove
frigus meum in gremio miseri-
cordiæ tuæ!

Gaudeo de infinita granditate
Bonorum tuorum, quæ Tu ha-
es à TE; Gratias tibi ago pro do-
nis tuis, quæ habeo, & habebo à
TE. Gratulor tibi de infinitis the-
sauris Gratiaë, & Gloriæ tuæ, ad
Intra, & ad Extra.

Honoro te honore supremo!
humilio me sub potenti manu tua!
Habe

Habe me totum; habita in me, & doce me habitare in TE. Horas omnes, & momenta vitæ, & mortis meæ, Æternitatem ipsam cupio impendere in honorando TE.

Immolo cor meum tibi, in holocaustum doloris de omnibus malis meis, in Sacrificium Amoris æterni: Destruere in illo, quidquid tibi non placet; perficere, quidquid placet. Inchoata Domine, pro honore Nominis tui, jube per Divinam gratiam tuam ad exitum perduci; & ne patiarê, infæcundam esse animam meam, sponsam tuam, ut dicatur de ea. *Venerunt filij usque ad partum, Et non est virtus pariendi. Is. 37.*

Kyrie eleison. Domine miserere mei! fac me dignum misericor-

cor-

138 *Aspirationes Contritionis*
cordiâ tuâ; fac me illâ bene uti,
& in æternum cantare Miserationes
tuas.

Laudo te DEUS meus! Lætor
de uniuersa (per Cæli, & terræ
ambitum) laude tua. Fac me quo-
que sanctum laudatorem tuum!
Da mihi, ut vehementissimè de-
siderem, omnibus omnium Crea-
turarum cordibûs, linguîs, af-
fectibûs, & industriis, amare te,
laudare te, ô DEUS superlaudi-
bilis, & supergloriose in sæcula!

Magnifico super omnia im-
mensum mysterium divinæ Maje-
statis tuæ! Ac primum illud maxi-
mumque mandatum, quo man-
das, ut Amem te ex toto corde,
animâ, viribus, mente, & forti-
tudine mea. Misere, ut sanctiûs
dein-

de inceptis mandat, hujus meminerim. Da, ut millies, & millies quotidie mergatur Cor meum in mare Dilectionis tuæ!

Nolo; quidquid non vis, volo quidquid vis ô Numen æternum! Doleo fuisse unquam Tempus, in quo nolui, quæ volebas; & volui, quæ nolebas! Da, ut deinceps omnia damna illa compensem.

Offero tibi, quæ cogito, quæ loquor, quæ ago, quæ omitto. Opto semper obedire tibi. Opto habere omnia desideria, quæ tibi unquam placuerunt. Opto, id omne ac solum optare, quod vis, ut optem. Obsecro te pie IESU, hoc meum mihi votum concede, DEUS meus!

Paciscor tecum (si ita permittis

G

&

140 *Aspirationes Contritionis*
& cum omni Reverentiâ) supre-
me Domine ; ut quotiescunque
de te cogitavero, vel hoc Veneran-
dum Vocabulum, DEUS, mente
aut ore pronunciavero, vel char-
tâ expressero ; sit idem, atque si
tunc uno corde complecterer,
quidquid omnes boni libri, om-
nia bona corda habent ; amorem
tui summum, & quidquid tuæ Di-
vinæ Menti placet. Peto à te, ut
proposita mea sancta sint, & fir-
ma. Peto gratiam Amoris illius,
quo amari à me, summiô quovis
modô potes. Peto, ut placeat mihi,
quidquid tibi placet, ideo quia
Tibi placet. Peto, ut imiter te in
Amando TE, & ME ; idque in om-
nem ævternitatem !

Quæram igitur te ; quiescam
in

Et Amoris affectuosa. 141

in solo TE, unicus finis meus! Da,
ut inveniam te, O Pastor meus;
qui tam laboriosè quæstivisti me
perditam Ovem! Queam, ô uti-
nam! ad dexteram tuam quiescere,
in illa Magna Iudicij die juxta te!

Revertor ad te filius Prodigus!
Revereor te super omnia. Renun-
cio omnibus, quæcunque à Corde
meo abesse vis. Recollige me, re-
currentem ad TE! Ut recalescat
in sinu tuo Cor meum; & jam om-
nium, quæ retro sunt oblitus, re-
corder tui, & tantùm TVI!

Suspiro ad te! spero, spero, ah!
spero in infinita dulcedine multi-
tudinis, & Magnitudinis miseri-
cordiæ tuæ; quidquid terreat me
Infernus, & ad Pusillanimitatem
provocet Diabolus! sacrifico tibi
cor.

242 *Aspirationes Contritionis*
cor meum, oculos, aures, lin-
guam, pedes, manus; corpus, &
animam, vitam, & mortem me-
am; opera omnia, unà cum om-
nibus, quæ facta sunt, fiéntque
Cordium Sacrificiis tibi sacrifico;
& agnosco, atque, adoro atque te-
stor supremã excellentiam Divi-
næ Majestatis tuæ. Suscipe, DEUS
meus, quotidie, imò singulis horis,
ac momentis hoc Sacrificium me-
um; & fac me quodam quasi Sacri-
legio, aliquid mihi, aliisque decer-
pam ex ijs, quæ tibi sacrifico, &
SOLI TIBI.

Tremo sub pondere immensæ
Iustitiæ tuæ, ô SSS. Trinitas! u-
nus Dominus meus, & DEUS me-
us! Timeo te, tanquam Tumentes
super me fluctus. Da, ut ita pen-
dam

dam Tributum Timoris, & Amoris, Tibi supremo Domino meo, ut Amor tuus Timorem perficiat!

Volo voluntatem meam tuæ dare in victimam. Volo, millies volo amare te Voluntate illâ, quâ te amant illi, qui maximè, quique optimè amant. Volo velle; volo Voluntatem hanc, quàm validissimè, & vehementissimè possum sæpiùs instaurare! Volo, volo semper ampliùs TE amare!

Crucifixe JE SU, hæc omnia, quæ hic cogitavi, & quidquid per omnem vitam cogitabo, dicam, faciam, Cruci tuæ pro Trophæo appendo, tibi dedico; sanguine tuo aspergo, & imbuo, gratias agens dolori, & Amori tuo. Da ut verè doleam de me, & verè amem te;

ut

144 *Aspirationes Contritionis*
ut sim Triumphus Amoris tui,
vincentis me!


Zelo tuo accende me, Domine!
ut desiderem, ita te amari in terra
à me, & ab omnibus hominibus,
sicut amâris in Cælo à cunctis
Cælitibus; doleámque animitus,
quòd ita non amemus te!


Denique fiat pie IESU! fiat in
me, & de me, & omnibus Crea-
turis gratissima voluntas tua, in
tempore, & in æternitate! Tibi
gloria in sæcula sæculorum!


Amen.


*Ad Maiorem DEI
Gloriam.*


li,
e!
ra
s,
is
s,
n
t-
n
oi















PSALM
confessi
onales
sidori
a cruce

Th

3168